



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

XIX. Idem probatur ex iis, pro quibus sacrificiu[m] Missæ offertur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

fermè inuenitur in Liturgiis, & in libris Ambrosij, & Cyrilli
iam citatis: illa certè inueniuntur omnia, quæ Lutherum ob-
fendebant, nimirum nomina oblationis, & sacrificij.

Caluinus libro 4. Institutionum, cap. 18. §. 11. excusari non
non posse veteres, quin in actionis modo peccauerint: *Imo
te sunt enim, inquit, proptus Iudaicum sacrificandi morem
quàm aut ordinauerat Christus, aut Euangely ratio feruit*
SCILICET melius nouit Caluinus, qui heri natus est, quàm
ordinauerit Christus, quàm Iacobus frater Domini, qui Co-
na Domini cum ipso Christo interfuit, aut Clemens, qui
Apostolo Petro didicit, aut Basilius, Cyrillus, Ambrosius,
Chryostomus, qui mille, & ducentis annis Caluinum pre-
cesserunt.

CAP V T XIX.

*Idem probatur ex iis, pro quibus sacrificium Missæ
se offertur.*

VLTIMVM caput, vnde Patrum sententiam alio
perspicuè cognoscimus, vt nullus pateat ad
rius exitus, nisi Patres omninò reiciant, sententiam
ex iis, pro quibus sacrificium veteres offerre solent.
Nam si Eucharistia nihil esset aliud, nisi Sacramentum, quod
non prodesset nisi sumentibus, & manducantibus, quemadmodum
Baptismus non aliis prodest, quàm iis, qui baptizantur. Quod
quidem aduersarij non negant: immò Philippus, Caluinus,
Kemnitius, & alij totam controuersiam inter nos, & ipsos
se dicunt, An Eucharistia non solum debeat distribui mandu-
cantibus, sed etiam offerri pro salute aliorum, tum uiuentium,
tum mortuorum: id enim posterius ad verissimum sacrificium
perrinere non dubitant.

Iam verò Patres non solum in Liturgiis citatis, offerre
Eucharistiam pro peccatis uiuorum, & defunctorum, pro
ce, pro incolumitate, pro omnibus denique necessitatibus
tum spiritualibus, tum temporalibus: sed etiam in aliis locis
passim docent, id fieri debere; quæ testimonia infra fu-
adducenda erunt, cum ad eam quæstionem venerimus, si
hoc sacrificium propriè pitiorum. Interim autem vnus, aut
ter ex Patribus sufficient.

Ioan. CHRYSOSTOMVS homil. 79. ad populum Antiochenum: *Altari, inquit, assistens sacerdos, pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus Ecclesiam iubetur Deo offerre.* Et homil. 72. in Mathæum; addit offerri etiam pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus. Homilia 21. in Acta, & lib. 6. de sacerdotio, & alibi addit etiam pro mortuis. AVGVSTINVS lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. scribit à suis presbyteris oblatum sacrificium Eucharistiæ pro domo liberanda à dæmonum vexatione. & lib. 9. Confessionum, cap. 12. scribit, sacrificium pro matre sua defuncta oblatum. Et ne putemus meram esse cæremoniã pro defunctis offerre, ipse idem in Enchiridio, cap. 110. scribit, hostiam hanc pro nõ valde malis propitiationem esse. Sed de iis satis. Si quis autem velit testimoniorum farraginem, legat Ioannem Garecium.

CAPVT XX.

Probatur sacrificium Missæ ex coniunctione legis, & sacrificij.

VENIO nunc ad argumenta, quæ ex ipsa ratione Scripturarum, & Patrum lectione instructa peti possunt. PRIMA ratio desumitur ex coniunctione, quæ est inter religionem, seu legem, & sacrificium; & hoc syllogismo concludi potest. Tanta coniunctio est inter legem, seu religionem, & sacrificium externum, ac propriè dictum, vt omninò necesse sit, aut legem, & religionem verè & propriè in Christi Ecclesia non reperiri; aut sacrificium quoque externum, & propriè dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum autem est, si Missam tollas: est igitur Missa sacrificium externum, & propriè dictum.

Propositio prima probatur. PRIMO ex eo, quòd omnis religio, seu vera, seu falsa, omni loco & tempore, semper ad cultum Dei sacrificia adhibuit. Hinc enim colligitur id prodire ex lumine, & instinctu naturæ, & esse primum quoddã principium à Deo nobis ingenitum. Falsissimum enim est, quod dicit Kemnitius, vt hoc argumentum eludat in 2. parte Examinis, pag. 743. hunc esse instinctum naturæ corruptæ, quæ est fons, & radix omnium superstitionum. Nam etsi natura corrupta reuera fons est, ac fuit idololatriæ, & aliarum omnium